Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2143
Quelle:
Copyright:

Circumcisio domini nostri ihesu christi. Rome almachii martiris. qui iubente urbis prefecto &c. Miror hic, ubi de S. *Concordio* Mart. sermo est, in nullis Mss. *Sollerio* veram occurrisse lectionem: *ac fame post in carcere maceratus;* habet enim *ferro.* Pridie kal. Jan. extrema sunt: *Renarie sancti hermetis exorciste. Et aliorum. Retiariae* legit *Sollerius*, qui tamen in Codicibus etiam *Reuariam* invenit.

II. *fol.* 150. *Incipit prologus regule beati benedicti abbatis;* cum ipsa *Regula*, prout multoties et separatim, et v. g. in *Bibliotheca PP. Lugd.* T. IX. in *Lucae Holstenii Codice Regularum* denuo edito a *Mar. Brockie Aug. Vindel.* 1759. T. 1. p. 113. f. extat. Initium: *Ausculta, o fili, precepta magistri* &c. Capita nobis non nisi Rubricis impositis numerantur. Lectionis varietas non deest. Ita. C. 2. *Qualis debet esse Abbas* pro repetito barbaro *meminere* semper nobis latinius *meminisse.* Extrema sunt: *deo protegente peruenies.* At nunc continuo Rubrica *de forma uisitacionis* sequitur trifariam secta. Sectio 1. incipit: *In facienda uisitacione cautelam maximam* &c. 2. *Ex nimietate debitorum non tam periculum* &c. 3. *Ut consciencíis personarum et boni ordinis* &c. Unde haec petita? Ex *Nomastico Cisterciensi*, sive Antiquioribus ejus Ordinis Constitutionibus, quas collectas *Julianus Paris* Abbas edidit *Paris.* 1664. f. Invenies ibi 1. Sectionem *Parte II. Dist.* 8. p. 533. Sectionem 2. et 3. *Parte I. Dist.* 7. p. 318. Additur in Codice Formula Excommunicationis *Conspiratorum*, *Incendiariorum*, *Furum* et *Proprietariorum*, atque haec ferenda singulis annis *in Ramis Palmarum* praecipitur *Parte* ead. *Dist.* 6. p. 311. Quid hinc porro concludendum? Pictura *Martyrologio* praefixa Reginam ingeniculatam precantem exhibet, praefixa *Regulae Benedicti* per medium secta superiori parte S. Patriarcham sedentem adstante Monacho Regulae Codicem tenente, inferiori Reginam sedenten cum Libro procumbentibus ante eam duabus sacris habitu pullo virginibus velatis. Igitur rursus *Elisabetham* Viduam *Wenceslai* et *Rudolfi* saepe laudatam habemus hoc quoque Codice Parthenonem suum *Cisterciensem Brunnae* conditum donantem, quae, ut vult *Hagecius*, *Reginaebradecii* mortua apud suas condi voluit, teste *Anonymi Chronico* in *Gel. Dobneri Monum. Hist. Bohemiae* T. III. p. 55. 4. a. 1334. ut adeo fallatur *Gasp. Jongelinus*, qui *Notitiae Abbatiar. Ord. Cist. Colon.* 1640. f. L. V. p. 49. in ejus Epitaphio annum mortis 1376. adsignat.

DCCCXCV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 202. fol. max. per duas columnas charactere luculento, atro magnifice perscriptus, coloribus illustratus, et praecipuorum Festorum initiis pictura deaurata splendidus est *Pars I.* R. 2156

Lectio-